



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Castellani Magni Franciæ Eleemosynarii Vita

Galland, Pierre

Parisiis, 1674

Petri Castellani Aureliorum Episcopi, qui inter concionandum defecit ac obiit, Tvmvlvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14617

nus in Gallia incipiebat à Paschate; adeóque priores menses anni nostri pertinebant tum ad finem anni. Itaque qui tum verè mortuus est anno MDLI. initio mensis Februarij, nunc censendus est obiisse anno sequenti. Ejus epitaphium composuit magnus ille Michaël Hospitalius Franciæ Cancellarius; quod, tamenetsi editum sit in multis libris, nos heic quoque addendum censuimus. Est ergo hujusmodi.

Petri Castellani Aureliorum Episcopi, qui inter concionandum defecit ac obiit,

T V M V L V S.

SI pulchrum est ducibus pugnando occumbere mortem,

Pontifici pulchrum debet sanctúmque videri

Sic laterum nixúque omni contendere vocis

Vt vires media facientem verba corona

Deficiant sudóque fatiscat lingua palato.

Ac quondam fortis qui vicit Olympia miles,

Rettulit & multas victor certamine palmas,

Et quem nulla viri virtus perfregerat antè,

Sternitur ille siti tandem confectus & astu.

Discite Pastores, ó, vestro munere fungi,

Commissos curare greges, & denique nullum

Servandi causa pecoris vitare dolorem,

Nec dubitare animam multis pro millibus unam

Consecrare Deo ac meliori reddere vita.

Laudatur itaque & meritò laudatur Castellanus quòd in morbum lethalem inciderit inter concionandum, sic veri Episcopi munia implens. Et